Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Iustiniani Institutionum libri quattuor - Cod. Aug. perg. 159

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Buchschmuck

urn:nbn:de:bsz:31-43486

Visual Library

… habere potest quam qui utroque tempore testatoris fuerit, et quo faceret testamentum et quo moreretur. Directo autem libertas tunc dari videtur, cum non ab alio servum manumitti rogat, sed velut ex suo testamento libertatem ei competere vult. Verba autem fideicommissorum hec maxime in usu habentur: peto, rogo, mando, fidei tue committo; que proinde firma singula sunt, atque si omnia in unum congesta sint.

De codicillis

Ante Augusti tempora constat ius codicillorum non fuisse in usu. Sed primus Lucius Lentulus, ex cuius persona etiam fideicommissa ceperunt, codicillos introduxit. Nam cum decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petiit per fideicommissum ut faceret aliquid; et cum divus Augustus voluntatem eius implesset, deinceps reliqui auctoritatem eius secuti fideicommissa prestabant, et filia Lentuli legata, que iure non debebat, solvit. Dicitur Augustus convocasse prudentes, inter quos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas maxima erat, et quesisse an posset hoc recipi nec absonans a iuris ratione codicillorum usus esset; et Trebatium suasisse Augusto, quod diceret utilissimum et necessarium hoc civibus esse propter magnas et longas peregrinationes, que apud veteres fuissent, ubi, si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post que tempora cum et Labeo codicillos fecisset, iam nemini dubium erat quin codicilli iure optimo admitterentur. Non tantum autem testamento facto potest quis codicillos facere, sed et intestatus quis decedens fideicommittere codicillis potest. Sed cum ante testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait non aliter vires habere codicillos quam si postea speciali voluntate confirmentur. Sed divi Severus et Antoninus rescripserunt ex his codicillis qui testamentum precedunt posse fideicommissum peti, si appareat eum qui postea testamentum fecerat a voluntate quam in codicillis expresserat non recessisse. Codicillis autem hereditas nec dari nec adimi potest, ne confundatur ius testamentorum et codicillorum, et ideo nec exheredatio. Directo autem hereditas codicillis neque dari neque adimi potest; nam per fideicommissum hereditas iure codicillis relinquitur. Nec condicionem heredi instituto codicillis adicere neque substituere directo potest. Codicillos autem etiam plures quis facere potest, et nullam sollempnitatem ordinationis desiderant.

De hereditatibus que ab intestato deferuntur

INTESTATUS decedit qui aut omnino testamentum non fecit aut non iure fecit, aut id quod fecerat ruptum irritumve factum est, aut nemo ex eo heres extitit. Intestatorum autem hereditates ex lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes existimantur, ut et supra diximus, qui in potestate morientis fuerunt, veluti filius filia, nepos neptisve ex filio, pronepos proneptisve ex nepote ex filio nato prognatus prognatave. Nec interest utrum naturales liberi sunt an adoptivi. Quibus connumerari necesse est etiam eos qui ex legitimis quidem matrimoniis non sunt progeniti, curiis tamen civitatum dati secundum divalium constitutionum que super his posite sunt tenorem heredum suorum iura nanciscuntur; nec non eos quos nostre amplexe sunt constitutiones, per quas iussimus: Si quis mulierem in suo contubernio copulaverit non ab initio affectione maritali, eam tamen cum qua poterat habere coniugium, et ex ea liberos sustulerit, postea vero affectione procedente et nuptialia instrumenta cum ea fecerit, filiosque vel filias habuerit, non solum eos liberos qui post dotem editi sunt iustos et in potestate patris esse, sed et